

CONCILIUM VERNENSE^a

HABITUM ANNO DCCCXLIV

195 Canones concilii in Verno palatio habiti, ubi^b præsedit Ebroinus, Pictavorum episcopus; et Wenilo, Senonum archiepiscopus; et Ludovicus, sancti Dionysii abbas; et Hincmarus, post Rhemorum episcopus y regni domini nostri Karoli filii Ludovici imperatoris, mense Decembrio, indictione VII.

196 PRÆFATIO

Gratias omnipotenti Deo referimus, inclyte rex Carole, nos episcopi et cæteri fideles, qui ex diversis partibus ad Vernum evocati sumus, quod deposita discordia, unde tot mala processerunt, quæ et enumerare longum est, et declinare adhuc impossibile, (c) redistis ad pacem cum fratribus vestris, quam et natura vobis et religione debetis; in qua ut semper maneatis per Christum, qui pax nostra est, obsecramus; ut qui maximas res vestras discordia pene dilapsas videtis, concordia et fide adiutorio relevatas cito aspiciatis. Cedendum est enim Deo, de quo verissimæ continent litteræ: *Potestatem habet Excelsus in regno hominum, et cuicumque voluerit dubit illud (Dan. iv)*; et qui dignatione mirabili pollicetur: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur (Matth, v)*. Cæterum quia eodem Deo inspirante dignati estis jubere ut de statu Ecclesiæ,

(a) Canonum istius concilii auctorem se esse docet Lupus in epistola 42, in qua loquens de Carolo Calvo hæc ad Hincmarum, Rhemensem archiepiscopum, scribit: « Si consiliis quæ in Verno quæsita et inventa sunt acquievisset, jam eum in pace regnare fecisset ille de quo sacræ continent litteræ: *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum*. Canones eosdem, sive, ut vos vocatis, capitula, meo stylo tunc comprehensa vobis direxi; de quorum æquitate credo ætas posterior judicabit, et devotionis meæ non erit immemor cordium renunquæ scrutator. » Certe multa sunt in his canonibus quæ ita Lupum spirant, ut prorsus necesse sit fateri unius ejusdemque auctoris eos esse cum epistolis Lupinis, ut mox adnotabimus. Ex eo porro Carolus, quem Lupus perstringit ob non servatos canones Vernenses, excusari posse mihi videtur, quod ei nondum innotuissent, ut conqueruntur episcopi synodi Meldensis, qui ob eam causam putant immissos a Deo Normannos, velut ultores. « Quartum ex convenientia, inquit, in prædicto conventu (apud Theodonis villam) cæptum, et in Verno palatio perpetratum; sed invidia ac malitia diaboli seu ministrorum ejus, nondum principis et populi

A qui vehementer magnitudine ac multitudine peccatorum nostrorum confusus est, tractaremns, in nomine et adiutorio ejus, quæ communi deliberatione reperimus, celsitudini vestræ ac populi fidelis devotioni humiliter aperimus. Neque enim non justos approbare contendimus. Consideratione conscientie nostræ illud Jeremiæ suppliciter dicamus: *Misericordia Domini quia non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes ejus (Thren. III)*. Sed ad Deum reverti, et vos nobiscum tradere meditates, offitium nostrum exsequimur, cunctis acquiescentibus profuturum. Quippe non vobis nostra sed illius auctoritate loquimur **197** qui ait: *Qui est ex Deo, verba Dei audit (Joan. VIII)*. Absit autem ut in vobis impleatur quod sequitur: *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis*

auribus propalatum. Inde vero quia, sicut necesse fuerat, divinis jussionibus non est secuta obedientia, dedit Dominus ab Aquilone, unde juxta prophetam pandetur omne malum, dignos meritis nostris apostolos, crudeles scilicet et immanissimos Christianitatis persecutores Northmannos, » etc.

(b) *Præsedit Ebroinus*. Ob hoc nimirum, quia sacri palatii archicapellanus erat, id est apex omnium dignitatum palatarum. Alioqui enim nulla lex jubet ut episcopi primum locum occupent in conciliis ante metropolitanos. Sed datum id, ut dixi, dignitati ejus palatinæ, quæ eum constituerebat quodam modo caput episcoporum. Quam ob causam Grimoldus, abbas sancti Galli, præfertur Salomoni et Theodorico episcopis in volumine Capitulorum Caroli Calvi, tit. 24. Erat enim archicapellanus Ludovici regis Germaniæ.

C (c) *Redistis ad pacem*. Nimirum in synodo ad Theodonis villam, in loco qui dicitur *Judicium*: quo tres fratres, Lotharius scilicet imperator, Ludovicus, rex Germaniæ, et Carolus Calvus rex Francorum, convenientes anno 844, mense Octobri, amici facti sunt.

CANONES

I.

Ut cultum Dei rex omnibus præferat, et misericordiam cum judicio et justitia conservet.

Itaque vos primo convenimus ut quia vestra pro-

bitas cunctis vobis potest prodesse subjectis, cultum Dei rebus omnibus præferatis. Namque ipse dicit: *Qui glorificant me, glorificabo eos; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles (I Reg. II)*. Præterea

misericordiam et iudicium atque iustitiam conservetis. Scilicet ut misericordia temperet severitatem potestatis, iudicium comprimat obstinate peccantes, iustitia merentibus digna restituat. Siquidem : *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur (Matth. v)*; et : *Beati qui custodiunt iudicium, et faciunt iustitiam in omni tempore (Psal. cv)*; et : *Honor regis iudicium diligit (Psal. xcvi)*; et : *Iustitia firmari thronum regis (Prov. xxv)*, sapientissimi Salomonis, imo per eum loquentis Dei prodit auctoritas. Taliter vobis agentibus, vel (a) incruentam vobis, ut credimus, vel justam de hostibus victoriam divina gratia providebit. Exemplo vobis esse possunt David et Ezechias, qui merito sanctitatis inimicos populi Dei vel pugnando vel orando mirabili celeritate vicerunt; sed et domesticum lumen, imperator Carolus, qui nomen quod familiae vestrae peperit clarissimis actibus adornavit. Nec regni vobis amplitudinem ac soliditatem tantummodo, verum etiam vobis bene gerentibus post vitæ 198 hujus excursus eadem Dei gratia gloriam largietur æternam, cui rex et propheta suspirans : *Satiabor, inquit, cum apparuerit gloria tua (Psal. xvi)*. Hæc autem vestrae majestati non temere suggerimus, quia vestri quoque cura nobis commissa est, quorum ministerio per fidem atque baptismum mundati diem tremendi iudicii cum cæteris fidelibus expectatis.

II.

Ut mittantur legati a latere regis, qui scelerum patratores et apostolicæ disciplinæ contemptores coerceant.

Verum ut ad nos episcopos redeamus, per hæc civilem discordiam multa interdum in nobis ipsis ac

(a) *Incruentam victoriam.* Lupus, epist. 38, ad Carolum Calvum : « Concedat vobis prolixam suspitatem, incruentam victoriam, perpetuam pacem. »

(b) *A latere vestro.* Carolum regem orant episcopi ut legatos a latere suo mittat in provincias, qui delicta episcoporum coerceant, canonesque jubeant observari; et ut legatis istis præcipiatur ut in obeundo munere suo, *absque respectu personarum, et excæcatione munerum*, castos se videlicet atque abstinentes et integros præsentent. Quod argumentum etiam graviter urget Jonas, episcopus Aurelianensis, in libro II de Institutione laicali, cap. 24. Olim ergo a principibus mittebantur in provincias nonnulli, quos illi dignitate ornabant legatorum a latere; ut ad Marculfum observavit Hieronymus Bignonius, et Christophorus Justellus ad Codicem Canonum Ecclesiæ Africanæ. De legatis a latere imperatoris exstat etiam mentio in Vita Ludovici Pii imp. ad an. 824 et 827.

(c) *Parochiis.* Id est diocesisibus, ut dixit. Tum enim, et diu antea, vox illa usurpabatur ad significandam integram episcopi diocesim. Sed quoniam R. P. Cellotius in diversum traxit locum quemdam ex Sulpitio Severo, inutile non erit hic paulisper immorari, ut lucem restituamus huic Severi loco. Ævo Sulpitii Severi nullæ erant ecclesiæ præter episcopales et parochiales. Aliæ ædes sacræ vocabantur *oratoria* ut satis notum est. Nam etiam Justiniani imp. tempore monachi non habebant ecclesiam, ut ad novellam quintam ejusdem imperatoris adnotavit Cujacius. Et tamen Cellotius contumeliam fieri putat omnibus monachis, si negetur illos priscis illis temporibus ecclesias habuisse in suis receptaculis; ideoque illu-

aliis nobis commissis negligimus, interdum negligere coacti sumus; ita ut in omnibus ordinibus religio magnum detrimentum acceperit, et alii quidem per ignorantium in interitum tendant, alii vero longa licentia assuefacti, impune se peccare posse confidant. Tandem igitur ad propriam et cæterorum correctionem conversi, quæsumus ut scelerum patratores et apostolicæ disciplinæ contemptores, missis (b) a latere vestro probatæ fidei legatis, absque respectu personarum, et excæcatione munerum, coerceantur, et otio nobis, quantum possibile est, concesso, sermo Dei prædicando fructificet, et canonum reverenda auctoritas debitum in omnibus vigorem obtineat.

III.

Ut religiosi et idonei viri dirigantur qui monasteria scrutentur in quibus collapsa est disciplina, et ad synodum postea referant.

In locis sanctis, hoc est monasteriis, alios studio, nonnullos desidia, multos necessitate victos et vestimenti a sua professione deviare comperimus, quod petimus ut in omnibus (c) parochiis directi a vestra mansuetudine religiosi atque idonei viri 199 cum notitia episcoporum scrutentur et corrigant, ac singulorum locorum statum vestrae celsitudini et nostræ mediocritati tempore a vobis constituendo renuntient.

IV.

Ut monachi vagi ad sua loca revertantur et profugi vel ejecti corrigantur. Item de clericis ecclesiarum suarum desertoribus.

Monachos qui cupiditatis causa vagantur et sanctæ religionis propositum impudenter infamant ad

strissimum virum Franciscum Hallierum, Cabellensem dein episcopum, reprehendit quod adnotaverit ubicunque apud veteres reperitur Ecclesiæ vocabulum, intelligi debere ecclesiam parochialem. Ut probet Cellotius falli Hallierum, adducit auctoritatem Sulpitii Severi, cujus ea sunt verba in capite tertio primi dialogi : « Igitur inde digressus, Bethlehem oppidum petii, quod ab Hierosolymis sex millibus disparatur, ab Alexandria autem sedecim mansionibus abest. Ecclesiam loci illius Hieronymus presbyter regit. Nam parochia est episcopi qui Hierosolymam tenet. » Ex hoc loco colligit Cellotius Hieronymum non tenuisse ecclesiam (ut sæculi nostri verbis utar) parochialem urbis Bethlehemitanæ, quandoquidem parochia erat episcopi, adeoque non omnem ecclesiam esse parochiam. « Habet igitur, inquit, et quidem in urbe, monasterium ecclesiam suam ab urbis paræcia distinctam. Non tenet ecclesiam monasterii ab episcopo Hieronymus, qui cum ipsi non convenit. » Scilicet non animadvertibat Cellotius vocem *parochia* hic non accipi eo sensu quo hodie a nobis usurpatur. Hoc dicere voluit Severus, ecclesiam (parochialem), Bethlehemiticam esse in parochia (id est diocesi) episcopi Hierosolymitani. Unde sequitur Hieronymum ecclesiam parochialem urbis Bethlehemiticæ tenuisse ab episcopo Hierosolymitano, contra quam visum est Cellotio. Fixum namque et constans est, citra omnem controversiam, Hieronymum rexisse ecclesiam oppidi Bethlehem. Quæ causa fuit ut eum auctor libri de hæresibus, cui titulum Sirmundus fecit *Prædestinatus*, Hieronymum vocet presbyterum Bethleitem.

sua loca jubemus reverti et regulariter abbatum solertia recipi. Eis autem qui pos evidentem professionem monachicam etiam habitum reliquerunt, vel qui sua culpa projiciuntur, nisi redire et quod Deo sponderunt implere consentiant, hoc credimus posse remedio subveniri, si in (a) ergastulis inclusi tandiu a conventu hominum abstineantur et pietatis intuitu convenientibus macerentur operibus donec sanitatem correctionis admittant. Namque illi qui quondam monachi, postea relicta singularitatis professione ad militiam vel ad nuptias devolvuntur, papæ Leonis decreto (*epist. ad Rustic.*) publica pœnitentiæ satisfactione purgandi sunt. De clericis autem Ecclesiarum suarum desertoribus antiqua forma Chalcedonensis concilii servanda est (*can. XXI*), quæ præscribit ut, si episcopus susceperit clericum ad alium episcopum pertinentem et susceptus et suscipiens communione privetur donec is qui migraverat clericus ad propriam revertatur Ecclesiam.

V.

De iis qui sanctimonialibus illicite miscentur.

Qui sanctimonialibus illicite miscentur, et sacrilega fœdera cum eis faciunt, eos (b) Innocentii papæ censura a communione jubet suspendi, 200 et illi per publicam probatamque pœnitentiam omnino non recipi, aut his certe viaticum de sæculo transeuntibus, si tamen pœnituerint, non negari.

VI.

De sponsa ab altero rapta et de pœna raptoris.

Ab altero vero desponsata, et ab altero rapta puella, secundum statuta Ancyranæ concilii (*can. X*), ei a quo desponsata fuerat reddenda est, etiamsi vim a raptore pertulerit. De raptoribus autem in nobis videtur optimum ut, quoniam ecclesiasticam excommunicationem parvi pendunt, sæcularium legum terreantur austeritate.

VII.

De sanctimonialibus quæ religionis causa virilem habitum sumunt vel crines attondent.

Si quæ sanctimoniales causa religionis, ut eis

(a) *In ergastulis.* Imitatus est hic canon ex cap. 6 epistolæ papæ Siricii ad Himerium, episcopum Tarracônensem, ubi sic scriptum est: « Quatenus retrusæ in suis ergastulis, tantum facinus continua lamentatione delentes, » etc.

(b) *Innocentii papæ.* Aut sefellit hic Lupum memoria, aut erratum est a librario. Quippe decretum illud non est Innocentii, sed Gelasii, in cujus decretis exstat, cap. 20: « Virginibus sacris temere se quosdam sociare cognovimus et post dicatum Deo propositum incesta fœdera sacrilegaque miscere; quos protinus æquum est a sacra communione detrudi, et nisi per publicam probatamque pœnitentiam, omnino non recipi. Sed tamen his viaticum de sæculo transeuntibus, si tamen pœnituerint, non negetur. » Decretum istud ex Gelasio laudatur lib. 1. Capitul., cap. 106.

(c) *Crines attondent.* Causam hujus prohibitionis aperit canon 17 Gangrensis, his verbis: « Si qua mulier propter divinum cultum, ut æstimat, crines attondet, quos eis Deus ad subjectionis memoriam tribuit; tanquam præceptum dissolvens obedienciæ, anathema sit. » Loquitur, opinor, de mulieribus conjugatis, quæ viris suis debent esse subjectæ. Non-

A falso videtur, vel virilem habitum sumunt, vel (c) crines attondent, quia ignorantia magis quam studio eas errare putamus, admonendas castigandasque decernimus; ne forte Veteris ac Novi Instrumenti prævaricatrices, juxta Gangrensem synodum (*can. XIII*) severitate anathematis ab Ecclesiæ corpore præcidantur.

VIII.

Ut episcopi qui ad bellum non eunt, homines suos alicui ex fidelibus regis committant.

Quoniam quosdam episcoporum ab expeditionis labore corporis defendit imbecillitas, aliis autem vestra indulgentia cunctis optabilem largitur quietem, præcavendum est utrisque ne per eorum absentiam res militaris dispendium patiat. Itaque si vestra consentit sublimitas, homines suos reipublicæ profuturos cuilibet fidelium vestrorum, quem sibi utilem judicaverint, committant, cujus diligentia, ne se ab officio subtrahere valeant, observetur.

IX.

Ut Rhemorum Ecclesiæ, pastore diu destitutæ, quamprimum præficiatur episcopus.

201 (d) Rhemorum Ecclesiam diu multumque pastore destitutam, super spoliata rebus, oneratam injuriis, absque ingenti dolore fateri non possumus. Et quia vestram sublimitatem et nostram parvitatem eruere desideramus periculo, obsecramus ut tam fœde lacerata Ecclesia redintegretur, atque juxta venerabilium canonum constitutionem dignus ei celeriter quærat et præficiatur episcopus, ut clerus et populus tantis attritus et spiritalibus et corporalibus incommodis, consolatione recepta cum suo præsule pro vestra salute ac prosperitate communi Domino studeat supplicare.

X.

Ut in Ecclesia Aurelianensi ratam rex esse permittat ordinationem Agii episcopi.

Aurelianensis etiam Ecclesia confusione maxima noscitur laborare. Tamen, quia superiore anno archiepiscopus Wenilo, suis annitentibus suffraganeis, dum enim erat inventum genus hoc sanctimonialium, quod postea exortum est, apud quas statim earum crines attondentur, quæ sanctum institutum arripiunt.

(d) *Rhemorum Ecclesiam.* Ultimus illius antistes Ebbo dejectus fuerat ob crimen majestatis, transgressus in partes Lotharii, filii Ludovici Pii, qui patrem eo usque deprimere ausus est, ut etiam in carcere concluderet, pœnitentiæque publicæ addici procuraret ab Ebbone. Ex eo tempore, Rhemensis Ecclesia sine archiepiscopo fuerat. Id vero dolent episcopi in synodo Vernensi congregati, orantque Carolum ut talem ei sedi præficiat episcopum, qui tot ruinas, quas ea Ecclesia passa fuerat, reparare possit. Factum id anno 845, in synodo Belvacensi; in qua Hincmarus, favente Carolo rege, ordinatus est Rhemensis archiepiscopus, ut Flodoardus tradit lib. III, cap. 1 Historiæ Rhemensis. Ipse Hincmarus, in cap. 36 posterioris operis adversus Gotteschalcum, sic temperat scriptionem suam ut dicere videatur expetitur se fuisse ab episcopis in synodo Bellovacensi constitutus; quorum precibus dederit Carolus rex ut Hincmarus, licet ex aliena provincia, fieret archiepiscopus Rhemensis.

ex eodem loco (a) Agium presbyterum palatii vestri memoratæ Ecclesiæ ordinavit probabiliū canonicorum ac laicorum attestatione instructus et petitione impulsus, et eadem Ecclesia nostro et vestro vacat periculo, hujus rei alium exitum non videmus, nisi ut vestra pietas quod a tantis viris factum est (b) ratum esse permittat.

XI.

De prælatione Drogonis expectandum videri episcoporum Galliarum Germaniarumque conventum et consensum.

De prælatione reverentissimi (c) Drogonis definire aliud non audemus nisi expectandum, quam maximus cogi potest, Galliarum Germaniarumque conventum, et in eo metropolitanorum reliquorumque 202 antistitum inquirendum esse consensum, cui resistere nec volumus nec valemus. Nobis tamen, si quid tale alicui committi potest, et non alia quam quæ præ tenditur latet causa, illi potissimum convenire videtur qui et communione sacerdotii nobis et excellentiæ vestræ propinquitatis privilegio sociatur.

XII.

Ut ecclesiis et monasteriis restituantur loca et prædia ecclesiastica quæ laici possident.

Veniamus nunc ad ultimam partem admonitionis nostræ, quam qua intentione fundimus, dederit Deus ut vos ac proceres cæterique fideles ea devotione suscipiatis. Videmus enim iram Dei nobis et vobis imminere, cum pro rapinis et immanibus aliis sceleribus, tum etiam maxime quod Ecclesiæ facultates, quas reges et reliqui Christiani Deo voverunt ad alimentum servorum Dei et pauperum, ad exceptionem hospitem, redemptionem captivorum atque templorum Dei instaurationem, nunc (d) in usu sæcularium detinentur. Hinc multi servi Dei pen-

(a) *Agium presbyterum.* Jonæ Aurelianensis episcopi, qui proxime decesserat, propriaque, ut in epistola 21 docet Lupus,

(b) *Ratum esse permittat.* Agnoscebant itaque tum temporis episcopi Gallicani, ratam non esse ordinationem quæ regio consensu destituebatur. Num quo pertinuit orare Carolum ut ordinationem Agii ratam esse sineret, si nihil juris in eo negotio principi competitivisset? Tum ut eum facilius pertrahunt ad consensum, illi blandiuntur, dum aiunt Agium esse presbyterum palatii regii.

(c) *Drogonis.* Archiepiscopi Metensis, cui Sergius II papa vices apostolicæ sedis delegaverat. Erat Drogo Caroli Magni filius ex concubina; ideoque « fastu regie prosapie subvectus, » ut ait Hincmarus, « prælationem in Cisalpinis regionibus tempore Lotharii imp. apud Sergium papam obtinuit. Sed quod affectu ambiit, effectu non habuit; et quod efficaciam usu, non consentientibus quibus intererat, obtinere non potuit, patientissime, ut eum decuit, toleravit; ne scandalum fratribus consacerdotibus generans, schisma in Ecclesiam introduceret. » Itaque licet Drogo præseserit in concilio ad Theodonis Villam, in loco qui dicitur *Judicium*, non statim existimandum est id honoris ei tributum ob vices apostolicæ sedis. Datum id nobilitati ejus non autem legationi. Nam diserte scriptum est in titulo synodi ad Theodonis Villam Drogonem ei præsesisse *consensu eorundem regum*, id est, Lotharii, Ludovici et Caroli. Vide illu-

riam cibi et potus ac vestimentorum patiuntur, pauperes consuetam eleemosynam non accipiunt, negliguntur hospites, fraudantur captivi et fama omnium merito laceratur. Et quidem si hæc a paganis pateretur Ecclesia, patientiam flagitaret. Nunc autem oppressi a filiis nostris, hoc est ab his quos vel nos vel decessores nostri in Christo genuimus, Christianos eos nostro ministerio facientes, nullam patientiæ consolationem recipimus, quoniam de illorum interitu (e) formidamus. Certe, quod nullus, quanquam impudentissimus, negare audebit, possessio Ecclesiæ votum est fidelium, patrimonium 203 pauperum, redemptio animarum. Votum ergo alterius quomodo quisquam Deo audeat auferre? Hæreditatem pauperum qua temeritate præsumit invadere? Unde alii suas animas redemerunt, cur inde alii suas perdunt? Itaque quædam (f) loca venerabilia, quod nunquam antea auditum est, laici ex integra possident, quorumdam partem sibi vindicant, quorumdam prædia multipliciter divisa in hæreditatem sibi dari fecerunt. Ægyptii sacerdotes, famis necessitate cæteris cuncta vendentibus, suas possessiones retinuerunt (*Gen. XLVII*); et falsi dii reverentiam a suis cultoribus meruerunt, quam in hac parte solus et verus Deus non obtinet. Oza percussus est propterea quod nutantem arcam sublevare præsumpsit, quam tangere nefas erat (*II Reg. VI*). Rideat hoc aliquis, nisi, quod summo dolore dicimus, quidam oppressores Ecclesiæ dignum suis moribus exitum nostro etiam tempore invenerunt. Propheta clamat: *Qui dixerunt: Hæreditate possideamus sanctuarium Dei; Deus meus, pone illos ut rotam et sicut stipulam ante faciem venti (Psal. LXXXII).* Postremo ipse Dominus Jesus conditor et redemptor: *Quid proficit homo, si lucretur universum mundum, se autem ipsum perdat, et detrimentum sui faciat?*

strissimum virum Petrum de Marca, archiepiscopum Parisiensem, in lib. VI, de Concordia sacerdotii et imperii cap. 29.

(d) *In usu sæcularium.* Hæc quis non videt scripta esse pro recuperatione Cellæ sancti Judoci; quam Ludovicus Pius, quod toties inculcat Lupus, Ferrariensi monasterio dederat, Carolus vero abstulerat, ut eam Odulpho corniti, homini nimirum sæculari, traderet? Sed ecce verba Lupi ex epistola 44, ad Hincmarum Rhemensem, pro recuperatione Cellæ, tam similia verbis istius canonis, ut pene ovum ovo non sit similis: Cogimur itaque attrita et resarta ferre vestimenta, et famem pene semper solis oleribus et emptitiis leguminibus temperare. Hinc queruntur infirmi: apud nos consueti requirunt, nec inveniunt, hospites. Præsentia tempora infamantur, et Deus ad vindictam sine dubio provocatur. » Item in epistola 71, ad Carolum regem, ante recuperationem Cellæ: « Quam ob causam nunc Dei servi, qui pro vobis assidue orant, hoc triennio consueti vestimenta non accipiunt; et quæ ferre compelluntur, attrita et pleraque resarta sunt; leguminibus emptitiis sustentantur piscium et casei consolationem rarissime consequuntur. »

(e) *Formidamus.* Lupus, epist. 44, in eadem causa: « Ultra quam dici potest formido, ne citissime suis inimicis gaudium pariat exoptatum. »

(f) *Loca venerabilia.* Id est monasteria. Supra can. 3, *in locis sanctis*, id est monasteriis.

(*Matth.* xxi.) Et quisquam tam audax et desperatus invenitur qui possessiones Dei (a) ad certissimam perniciem suam occupet et invadat? O fideles Deo et vobis ipsis, nolite pro temporali abundantia divitiarum mereri sempiternam congeriem miseriarum, nec ultra decus animæ vestræ tam pestifero, tam inaudito, tam denique certo sacrilegio polluatis. Reddite Deo sua, ut vestra cum pace possideatis, tormenta evadatis æterna, et postmodum ad gaudium Domini nostri, ut servi fideles intromittamini. Sæculares honores sæculares possideant, ecclesiasticos ecclesiastici sortiantur. Nec nos insatiabilis cupiditatis arguatis, quia, qualescunque sumus, vera nos dicere nec ipsi nescitis. Et, licet pauci, sunt tamen (b) aliqui nostrum Deum timentes, qui juxta illud propheticum exaudiantur: *Voluntatem timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet* (*Psal.* cXLIV). Quia omnium finis quotidie appropinquat; et quæ videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna. Si volumus evadere præsentis calamitates et futuras evitare miserias, in commune a nostris

(a) *Certissimam perniciem.* Lupus in epistola 55, loquens de Adulpho comite, qui Cellam Judoci possidebat « Is languere dicitur, inquit, nec tam periculose ut vel admonitus corrigatur, quod optarem; nec tam graviter ut moriatur, quod propter ejus certissimam damnationem doleremus. »

(b) *Aliqui nostrum.* Lupus epistola 42, ad Hinemarium, pro recuperatione ejusdem Cellæ: « Fecerit hoc mea utilitas. Cur tantorum virorum, qui mecum Deo serviunt, est contempta sanctitas? Vestro admonitu nosse debet, esse inter nos aliquos de quibus merito Scriptura testetur: *Voluntatem timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet.* »

(c) *Perversorum consortia.* Lupus in epistola 64, est exhortatio ad Carolum regem: « Vitate malorum societatem, quoniam, ut scriptum recolitis, *corrumpunt bonos mores colloquia mala.* »

(d) *Petere audeat.* Lupus in eadem epistola 64: « Concipite honestam veritatem, ut quod vos non decet præstare nemo scienter a vobis audeat postulare. »

(e) *Nec timeat iratos.* Lupus in eadem epistola 64: « Ne metuatis potentes, quos ipsi fecistis, et quos cum vultis, extenuare potestis. Ne confidatis in principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus. Sed transferte spem vestram ad Deum qui fecit

pravitatibus ad Dominum convertamur, et declinantes a malo, faciamus bonum, ut bona Domini mereamur videre in terra viventium (*Psal.* xxv; *I Petr.* iii; *Psal.* xxvi). Tu autem, clarissime rex, quia verissime scriptum est: *Corrumpunt mores bonos colloquia mala* (*I Cor.* xv), fuge (c) perversorum consortia et consilia, nec a te quisquam (d) petere audeat quod majestatem tuam præstare non deceat. (e) Nec timeas iratos homines, hoc est terram et cinerem, amplius quam Deum, qui te creavit, quique in veritate iudicabit; cujus voluntatem si perfecte secutus fueris, credimus quod quorumlibet hominum te (f) contumacia liberabit, et omnibus angustiis clementer eripiet, ac post hoc temporale regnum ad perpetuum cumulata felicitate perducet. In fine omnes alloquimur, quod si nostris salutaribus acquieveritis consiliis, vestro profectui plurimum congratulabimur. Si autem nos, imo Deum per nos loquentem contempseritis, (g) necessitate implendi ministerii quod nollemus facere compellemur.

cælum et terram, qui custodit veritatem in sæculum. »

(f) *Contumacia liberabit.* Lupus in eadem epistola 64: « Hæc studiose custodientes, Deo et bonis quibusque placebitis, rebelles Deo, ut credimus, pro vobis pugnante, comprimatis atque vincetis, et post regnum temporale atque laboriosum, consequemini sempiternum et vere quietum. »

(g) *Neces. impl. min.* Sic Patres synodi universalis habitæ apud Saponarias anno 859, scribentes ad episcopos Britonum de reverentia quæ ab iisdem episcopis debebatur metropolitano Turonensi Herardo, aiunt in fine: « Verum si, quod non optamus, ab ejusdem metropolitani sollicitudine ulterius resilieritis, et nostris ex charitate manantibus exhortationibus vos constituerit reluctari, ministerii necessitate canonicam in vos cogemur proferre sententiam. » Qua nimirum *ferro necesse est excindantur vulnera*, ut ad Himerium scribit papa Siricius, *quæ fomentorum non senserint medicinam*, id est, ferro excommunicationis, ut interpretatur Julianus Pomerius. Sed de moderatione et sapientia antiquorum episcoporum in adhibendo ferro excommunicationis nos olim pluribus agemus in notis ad epistolam Ruricii episcopi Lemovicensis. Neque inutile tum fuerit altius scrutari an per illas tempestates explicata in hoc fuerit auctoritas episcopi Romani.

B. SERVATI LUPI

ABBATIS FERRARIENSIS

^a LIBER DE TRIBUS QUÆSTIONIBUS

205 JACOBI SIRMONDI PRÆFATIO

De duobus sequentibus opusculis et de nomine auctoris.

De auctoris nomine hoc primo, Lector, statuendum est, non Lupum Servatum, ut cum Sigeberto et

(a) Magnum his quindecim annis certamen fuit in-

D Trithemio plerique hodie vocant, sed Servatum Lupum, quod veteres libri et aliorum exempla docent, ter eruditos, Lupine Ferrariensis abbatis essent Li-